

TITULUS V.

DE SACRAMENTIS

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

474. Sacramenta novae Legis, per quae omnis vera iustitia incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, et sine quibus ad vitam, quae vere vita est, non intratur, eo maiore animi pietate et veneratione tractanda et percipienda sunt, quo illorum dignitas est maior et fructus uberior. Scimus autem septem esse Sacramenta a Christo Domino instituta, nec plura nec pauciora, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, quae multum a Sacramentis differunt antiquae Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse significabant: haec vero nostra et continent gratiam et ipsam digne suscipientibus conferunt; ideoque merito dicuntur « res sensibus subiectae, quae, ex Dei institutione, sanctitatis et iustitiae tum significandae tum efficiendae vim habent ». Horum quinque prima ad spiritualem uniuscuiusque hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiae regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renasci-

mur; per Confirmationem, augeamur in gratia et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistiae alimonia; quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per Poenitentiam spiritualiter sanamur; et per Sacramentum Extremae Unctionis a peccati reliquiis extersi, parati reddimur ad ingressum in aeternam gloriam. Duo autem Sacramenta Ordinis et Matrimonii, unum ad regendam sanctificandamque societatem fidelium, alterum ad ipsam humanae familiae propagationem sanctificandam referuntur¹.

475. Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet: rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum. Inter haec Sacramenta tria sunt: Baptismus, Confirmatio et Ordo, quae characterem, id est signum quoddam spirituale et indelebile, in anima imprimunt. Unde in eadem persona non reiterantur. Quamvis autem omnia Sacramenta divinam et admirabilem virtutem in se contineant, tamen non omnia aut aequalem necessitatem aut parem dignitatem habent².

476. Quoniam ministri Sacramentorum in sacro ritu peragendo non suam sed Christi personam gerunt, sive ipsi boni fuerint, sive mali, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverint, vere Sacramenta conficiunt et conferunt. Et licet bonitas et fides ministri ad Sacramentorum valorem minime requiratur, graviter tamen

¹ Cfr. Conc. Trid. sess. 7 de Sacr.; Const. Eugenii IV *Exultate Deo*, de concord. Armen. in Conc. Florent. 22 Nov. 1439; Cat. Rom. de Sacr. in genere.

² Cfr. Eugen. IV. *ibid.*; Cat. Rom. *ibid.*

delinquant, qui ratione muneris sibi commissi Sacramenta administrant in statu peccati³.

477. Parochi praesertim et alii sacerdotes, ad quos Sacramentorum administratio pertinet, lubenti promptoque semper animo, hoc saluberrimo fungantur munere; et, si necessitas urgeat, quacumque diei ac noctis hora ad illa administranda vocentur, nullam officio suo praestando moram interponant.

478. Sacerdos, dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quae ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias orationes et preces devote ac religiose dicet; nec memoriae, quae plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit ex libro, ubi commode legi poterit. Reliquas praeterea caeremonias ac ritus ita decenter gravique actione peraget, ut adstantes ad coelestium rerum cogitationem erigat et attentos reddat. Antequam vero ad huiusmodi administrationem accedat, paululum, si opportunitas dabitur, orationi, et sacrae rei, quam acturus est, meditationi vacabit: si vero tempus urgeat, mentem ad Deum elevet et gratiae divinae auxilia repositat⁴.

479. Omnes qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno moneantur, per parochos praesertim aliosque sacerdotes, ut, remoto inani colloquio, et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint et ea, qua par est, reverentia suscipiant⁵.

480. In administratione Sacramentorum, praescriptiones Ritualis Romani et recepti et approbati catho-

¹ Cat. Rom. de Sacr. in genere, nn. 25, 26.

² Cfr. Rit. Rom. *de his quae in admin. Sacr. general. serv. sunt*; Conc. Prov. Neogranat. an. 1868, t. 4. c. 1.

³ Cfr. Rit. Rom. *ibid.*

Acta et Decreta.

licae Ecclesiae ritus, qui ne in minimis quidem omitti vel mutari possunt, peculiari studio ac diligentia servantur. Quoniam autem, ad augendam Sacramentorum suscipiendorum reverentiam, summopere confert nosse eorum institutionem, fructus et praecipuas rituum significationes, parochi, concionatores et catechistae ea populo opportune explanare curent.

481. Sacramenta, quorum administratio de iure competit parochis, absque ipsorum parochorum licentia expressa, aut vere et rationabiliter praesumpta, vel absque gravis necessitatis causa, administrari nequeunt ab aliis sacerdotibus; praesumptio tamen non valet ad valide assistendum Sacramento Matrimonii, sed expressa Episcopi, Vicarii Generalis, vel parochi venia requiritur¹.

482. Cum gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur (can. 105, causa I, q. I), cumque nulum, in sacris praesertim ministeriis, tetrius vitium esse possit, quam avaritia; parochi alique sacerdotes nihil propria auctoritate, praeter taxam ab Episcopo statutam, pro Sacramentorum administratione, directe vel indirecte exigant. Igitur in Baptismi et Matrimonii celebratione, illae tantum oblationes ipsis debentur, quae ab ipso Episcopo in tabella taxarum² rite designantur; servato tamen decreto S. Congregationis Concilii, diei 10 Iunii 1896³, et dummodo non agatur de pauperibus, seu de iis, qui vel nullatenus, vel nonnisi cum notabili incommodo oblationes praebere possunt.

483. Circa Sacramenta indignis deneganda, prudentissime agatur, prae oculis habitis canonicis prae-

¹ Cfr. Conc. Prov. Vallisolet. an. 1887, p. 3. tit. I, et Neogranat. an. 1868, ibid., tit. 4. cap. II.

² Vulgo hispanice *Arancel*, lusitanice *Tabella*.

³ V. Appen. n. XC.

scriptionibus ac normis a probatis auctoribus propositis; et in casibus difficilioribus et publicis, exquiratur iudicium proprii Episcopi: urgente vero necessitate, simul cum dubio perdurante, a publica denegatione abstinendum erit. Parochi autem alique Sacerdotes, ad quos spectat, huiusmodi indigne accedentes ad Sacramenta, in caritate Christi, summaque patientia, hortentur, ut necessarias dispositiones habere curent et impedimenta removere.

484. Canonici Cathedralis Ecclesiae, in administratione Sacramentorum, tam intra quam extra Cathedrallem Ecclesiam, tenentur deponere cappam, atque uti superpelliceo seu cotta et stola, iuxta Rituale Romanum; potest tamen superpelliceum superimponi rochetto.

CAPUT II.

De Baptismo.

485. Baptisma est Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem hominis regenerationem, per exteriorem corporis ablutionem, factam aqua, sub praescripta verborum forma, videlicet: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Hoc Sacramentum omnium Sacramentorum ianua est, per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficitur Ecclesiae; omnibusque hominibus necessarium est ad salutem, necessitate medii; in casu tamen necessitatis, baptismi votum et martyrium pro Christo perpepsum vices baptismi supplere potest. Legitimus baptismi minister est parochus vel alius sacerdos a parochi aut ab Ordinario loci delegatus; necessitate tamen cogente, non modo sacerdos vel quilibet clericus, sed etiam

laicus, sive vir sive femina, sive fidelis sive infidelis sit, baptizare potest; dummodo legitima materia et forma utatur et intendat facere quod facit Ecclesia¹.

486. Aqua, quae in solemnī baptismi administratione adhibetur, sit eodem anno benedicta in Sabbato Sancto Paschatis, vel Sabbato Pentecostes, quae in fonte mundo nitida et pura diligenter conservetur; et haec, quando nova benedicenda est, in Ecclesiae, vel potius Baptisterii sacrarium effundatur. Si autem aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate. Si vero corrupta fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in fontem bene mundatum et nitidum, recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula quae in Rituali Romano praescribitur².

487. Sacrum Chrisma, et sanctum Oleum, quod et Catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo solemnī, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta, feria V in Coena Domini. Veteribus autem Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum parochus non utatur; ac si deficere videantur, et Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud Oleum de olivis non benedictum adiciatur, sed in minore quantitate³.

488. Cum autem in regionibus nostris, ratione magnae distantiae vel ob aliud grave impedimentum, nonnunquam perdifficile sit parochis vel missionariis ad Baptismum conferendum aquam Sabbato Sancto vel Sabbato Pentecostes benedictam ex fontibus baptismalibus desumere et secum circumferre; Ordinarii, ad normam Litterarum Apostolicarum SS. D. N. Leonis XIII *Trans-*

¹ Eugen. IV. Const. *Exultate Deo*.

² Rit. Rom., de mater. Bapt.

³ Rit. Rom., de sacris Oleis etc.

*Oceanum*¹, nomine Sanctae Sedis, concedere poterunt parochis et missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem, ea breviori formula, qua missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit, quaeque in Appendice ad Rituale Romanum habetur. Imo, si adsit gravis necessitas, et si nequeat conservari aqua baptismalis, et si Olei sancti defectus habeatur, potest conferri Baptisma licite, etiam cum sola aqua benedicta: caveant tamen parochi et missionarii, ne id peragant, nisi existente vera et gravi causa, dignoscenda, ut par omnino est, ab Ordinario loci².

489. Quamvis quicumque, vir vel femina, baptizare valide possit, tamen ex praescripto Ecclesiae, etiam in casu necessitatis, procedi sic debet: si adsit Sacerdos Diacono praefertur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciat formam et modum baptizandi.

490. Pro regionibus illis ubi parochiae vel missiones talem extensionem habent, ut nonnulli loci seu pagi a parochis vel missionariis ne diebus quidem festis visitari possint, et incolae illorum locorum, ratione distantiae, difficillime et raro ad parochum vel missionarium accedere valeant, conficiatur ab Ordinario specialis Instructio, prae oculis habitis instructionibus Sanctae Sedis, quas in Appendice inserendas iussimus³. Et si casus difficiliores occurrant, qui communibus normis solvi non possint, Ordinarius recurat ad Sanctam Sedem.

491. Curandum est ut infantes quam citius baptizen-

¹ V. Appen. n. XCVI.

² S. Off. 11 Dec. 1850 (Coll. P. F. n. 511).

³ Vid. Appen. n. CXXVIII.

tur; unde improbamus incuriam parentum, qui, absque gravi causa, ultra triduum et praesertim ultra octiduum, filiorum, quamvis minime infirmorum, Baptismum differunt: et volumus, ut de hac re parochi et concionatores frequenter commoneant fideles ¹.

492. Adveniente morte mulieris praegnantis, provideatur aeternae salutis prolis in utero clausae, iuxta praescripta Ritualis Romani. Igitur prudenter moneantur medici, obstetrices, aliique ad quos spectat, de lege christianae caritatis et ecclesiasticae sollicitudinis, qua tenentur huiusmodi miserimis parvulis in tanta necessitate pro viribus subvenire, et praeiudicia, obstacula et repugnantias in contrarium, opportunis rationibus, quantum possint, remove. Ad quod facilius suadendum, simulque ad omnem imprudentem agendi rationem devitandam, parochi et missionarii prae oculis habeant hoc monitum S. Officii, diei 15 Febr. 1780, scilicet: « Neque improbum videri debere.... ullis fidelibus secare matrem mortuam, cum et Dominicum latus dissectum sit pro nostra redemptione. Illud potius rationi absonum atque ab omni pietate remotum, pro inani quadam integritate pudoreque servando defunctae genitrici, viventem natum aeternae morti addicere. Certe non modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. Haec autem foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda, ut dicimus, ac persuadenda sit, expresse tamen cavet, prohibetque Sanctitas Sua, ne Missionarii, in casibus particularibus, se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde Missionariis fuerit illius notitiam edidisse, curasseque, ut eius perfiendae rationem perdiscant, qui chirurgicis intendunt, laici homi-

¹ V. Appen. n. CXXVIII.

nes, tum vero, cum casus tulerit, eiusdem praxim ipsorum oneri ac muneris reliquisse » ¹.

493. Quoniam, in nonnullis regionibus nostris, plurimi adhuc inveniuntur infideles, ne, ex indiscreto sacerdotum zelo, infantes infidelium filii contra praescripta Ecclesiae baptizentur, monemus omnes parochos et missionarios non licere nisi in articulo, seu moraliter certo imminentis mortis periculo, infantes infidelium filios, invitatis seu insciis parentibus, baptizare; neque licere extra idem periculum seu articulum, infantes a parentibus infidelibus ultro etiam oblatos baptizare, si post Baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. Cum autem non paucos abusus in hoc genere, huc illuc, etiam a longo tempore introductos esse constet, parochi ac missionarii omnino obtemperant praesenti praescriptioni. Qua in re, prae oculis habeantur decreta et monita, quae leguntur in Instructionibus Benedicti XIV *Postremo mense*, diei 28 Februarii 1747 ², et S. Congregationis de Propaganda Fide, diei 17 Augusti 1777 ³. Sciant tamen illi ad quos spectat, dari posse casus in quibus licet baptizare pueros, qui in potestate parentum infidelium relinquendi sunt, quando scilicet fundata subest spes, fore, ut in religione catholica institui possint; et tunc remittitur prudenti arbitrio et conscientiae missionariorum, audito, si fieri possit, Ordinario, baptizare pueros a parentibus non baptizatis oblatos, dummodo non praevideatur ullum adesse grave perversionis periculum, et dummodo non constet parentes superstitionis causa filios offerre baptizandos ⁴.

¹ Coll. P. F. n. 573.

² Coll. P. F. n. 561.

³ Coll. P. F. n. 571.

⁴ V. Appen. n. CXXVI.

494. Parochi et missionarii, qui, contra praecedentes praescriptiones, imprudenter et inconsiderate baptizaverint infantes infidelium filios, tenentur per se vel per alios, quantum fieri potest, illos instruere, cum ad usum rationis pervenerint, monitis etiam caeteris parochis et missionariis, ad quorum parochiam vel districtum forsitan accesserunt, ino et Episcopo, quatenus opus fuerit ¹.

495. Ne, ob instructionis defectum, *adulti*, qui sacro Baptismate initiantur, immaculatam Christi legem profanis ac gentilitiis institutis ex ignorantia foedent, aut idololatriam cum orthodoxa fide confundant, caveant ii qui iisdem instruendis incumbunt, ne in posterum ullus ad Baptismum admittatur, qui, veterem hominem ac gentilitios mores prorsus exutus, Christum plene non induerit, et in fide non sit sufficienter instructus ². Non licet igitur, nisi et principalium Fidei mysteriorum cognitione, et aliis necessariis dispositionibus polleant, infideles rationis usum adeptos baptizare ³.

496. Adulti vero, qui morbo periculoso laborantes baptizari petunt, quique christianae religionis mysteria iuxta proprii captus mensuram intellecta suscipiunt, et actum contritionis vel attritionis eliciunt, serioque promittunt se servaturos mandata eiusdem religionis, baptizari debent. Similiter licet conferre Baptismum adultis in mortis periculo constitutis, qui, peccata sua dolentes, et Baptismum suscipere cupientes, nequeunt temporis defectu in Fidei mysteriis instrui, dummodo iisdem Fidei mysteriis, vel simplicis oris affirmatione, vel nutibus saltem, ostendant se consensum praebere. Curandum tamen ut, si huiusmodi adulti convaluerint, opportunis

¹ Cfr. decl. S. Off. 25 Ian. 1703 ad Episc. Quebecen. (Coll. P. F. n. 548).

² Alexand. VII. Const. *Sacrosancti*, 18 Ian. 1658.

³ S. Off. 12 Maii 1830 (Coll. P. F. n. 579).

instructionibus circa Fidei mysteria, et naturam atque effectus Sacramentorum diligenter edoceantur ¹.

497. Caeremoniae Baptismi, tam magni ponderis tantaeque auctoritatis ritus, ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime necessariae, accurate serventur; et si, urgente necessitate, legitime omissae fuerint, quam primum suppleantur, ut monet Benedictus XIV in Constitutione *Inter omnigenas* 2 Febr. 1744.

498. Necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, sed in Ecclesia parochiali seu in Baptisterio ². In Baptismo autem domi conferendo in casu necessitatis, omnia sunt omittenda quae Baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit ³; possunt tamen adhiberi illae caeremoniae quae Baptismum subsequuntur ⁴. In locis, ubi catholici haud raro incolunt procul ab ecclesiis vel oratoriis publicis, et translatio infantium in tenera aetate per tantam locorum distantiam magnis periculis et incommodis est obnoxia, parochis missionariis, de consensu Ordinarii, licet Baptismum hisce infantibus, vel extra mortis periculum, ministrare in privatis domibus, servato ritu Ecclesiae consueto ⁵.

499. In Baptismo adutorum ritus servari ex integro debet in Rituali Romano praescriptus, excepto casu urgentis necessitatis. Si tamen, propter defectum temporis improbamque defatigationem, aliisque gravibus de causis, perdifficile sit omnes adhibere caeremonias pro Baptismo adutorum praescriptas, ad normam

¹ S. Off. 10 April. 1861 (Coll. P. F. n. 590).

² Rit. Rom., de temp. et loc. adm. Bapt.

³ S. R. C. 23 Sept. 1820 (n. 2607).

⁴ S. Off. 10 April. 1861 (Coll. P. F. n. 629).

⁵ S. R. C. 4 Febr. 1871 ad 3 (n. 3234).

Litterarum Apostolicarum Leonis XIII *Trans Oceanum*, parochi et missionarii, de praevio Ordinarii consensu, uti poterunt solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III *Altitudo*, diei 1 Iun. 1537, designantur. Insuper, in iisdem rerum adiunctis, ad normam supra dictarum Litterarum Apostolicarum, Ordinarii nomine Sanctae Sedis concedere valent parochis et missionariis usum ordinis Baptismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorundem Ordinarium conscientia, super existentia gravis necessitatis ¹.

500. Non licet interrompere caeremonias Baptismi solemnem adultorum ad illas explicandas vernacula lingua ². Licet tamen interrogationes repetere lingua vernacula, dummodo prius lingua latina fiant ³. Patrini autem recitare possunt *Pater* et *Credo* lingua vernacula, dum parochus ea recitat latino sermone ⁴.

501. Obstetrix, quae in casu necessitatis baptizat, curet, quoad fieri potest, ut duae saltem personae, ac mater praesertim, si potest, praesentes adsint, quae verba ab ea in baptizando prolata audiant. Parochus vero, cum perquiret an infans baptizatus sit, diligenter obstetricem et testes etiam, si adfuerint, de peracta Baptismi collatione interrogabit: et si, omnibus rite perpensis, nullum prudens dubium circa collati Baptismi valorem exurgere posse cognoscit, omnino absteinet a nova Baptismi administratione, etiam sub conditione. Haec enim conditionata baptismi administratio, iis tantum in casibus fieri potest et debet, in quibus verum et prudens dubium existat de validitate prioris Baptismi.

¹ V. Append. n. XCVI.

² S. R. C. 21 Iun. 1879, ad 2 (n. 3496).

³ S. Offic. 23 Aug. 1886 (Coll. P. F. n. 640).

⁴ S. R. C. 30 Dec. 1881, ad 10 (n. 3535).

502. Sub conditione baptizentur infantes expositi, sive habeant schedulam de Baptismo testantem sive non habeant, nisi certo cognoscatur persona, quae utique examinanda est, a qua schedula sit exarata, aut aliunde indubitatum desumatur indicium, quod vere moralem pariat certitudinem Baptismi rite collati ¹.

503. Quoad infantes in utero matris in casu necessitatis baptizandos, serventur normae a probatis auctoribus traditae, et prae oculis habeatur declaratio S. Congregationis Concilii, diei 12 Iul. 1794, scilicet: *Foetus in utero supra verticem baptizatus, post ortum denuo sub conditione rebaptizetur* ²; a fortiori ergo rebaptizandus erit, si non supra verticem sed in alio membro baptizatus fuerit. Omnino vero foetus abortivus baptizetur, saltem sub conditione, excepto casu quo per certa et indubitata signa omnino constet de eius morte. Foetus vero monstruosus, quaecumque sit eius vel deformitas vel parvitas, toties quoties diligentissime examinandus est, et si dubitetur an sit homo, baptizari omnino debet sub conditione: *Si tu es homo* etc. De quibus rebus prudenter instruantur obstetrices et medici per parochos; et, per obstetrices praesertim et medicos, opportune moneantur matres.

504. In conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro temporum et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto

¹ Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 7. c. 6. n. 5.

² Coll. P. F. n. 647.

baptizentur. Demum, si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem haeresis et professionem fidei ¹. In reconciliatione vero minorum quatuordecim annorum, necessaria non est abiuratio formalis, sed sola fidei confessio: si autem agatur de haeretico certo invalide vel nullatenus baptizato, nulla requiritur abiuratio nec absolutio, quia omnia abluit sacramentum regenerationis ².

505. Ad baptismum e sacro fonte suscipiendum, unus saltem, sive vir sive mulier, licet etiam per procuratorem, in solemnibus baptismis assumi debet; sed non plusquam duo, qui sint vir et mulier, a parentibus ipsius baptizati vel ab iis ad quos pertinet, et, his deficientibus, a paroco designandi. Ad munus patrini in hoc Sacramento admitti nequeunt, qui in civili tantum, ut dicunt, matrimonio vivunt, ac publice excommunicati aut interdicti, nisi, reparato scandalo, cum Ecclesia reconcilientur. At si reconciliari recusent, et ex eorum exclusione gravia damna timeantur, res ad Episcopi iudicium deferatur, ut, inspectis omnibus adiunctis, id declaret quod magis in Domino expedire iudicabit ³. Nullus Clericus, sine Episcopi licentia ⁴, et nullus Regularis, sine speciali indulto ⁵, munus patrini suscipiat. Catholicis insuper absolute non licet, vel per se vel per alios, fungi officio patrini in Baptismis qui haereticorum filii ab haereticis ministrantur ⁶. Haereticus vero non potest fungi officio patrini in Baptismo

¹ S. Off. 20 Nov. 1878 (Coll. P. F. n. 660).

² S. Off. 20 Iul. 1859; 8 Mar. 1882 (Coll. P. F. n. 1680, 1689).

³ S. Poenit. 20 Martii 1885, ap. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2, art. 2.

⁴ Ibid.

⁵ Rit. Rom. de patrini.

⁶ S. Off. 10 Maii 1770 (Coll. P. F. n. 1825).

catholicorum; et quando solus haereticus adesset, qui id praestare posset, conferendum potius est Baptisma sine patrino ¹. Tandem, in supplendis Baptismi caeremoniis, patrini non sunt adhibendi; et si adsint, nullam contrahunt spiritualem cognationem ².

506. Curent parochi, ne iis qui baptizantur, scandalosa nomina, turpia, ridicula aut fabulosa, vel impiorum cognomina imponantur; et si id impedire nullo modo possint, addant nomen alicuius sancti, cuius patrocinio baptizati protegantur. Quo in casu, utrumque nomen, impium tamen vel scandalosum intra parentheses, in libro baptizatorum notetur ³.

507. Sedulo, absque ulla mora, nomina baptizatorum, mentione facta de patrinis et parentibus, in proprio libro, minime autem in solutis schedulis, quamprimum inscribere debent parochi. Si vero de filiis illegitimis agatur, matris nomen est inserendum, dummodo publice eius maternitas constet, vel ipsa sponte id petat; item de patre mere naturali numquam mentio fiat, nisi ipse sponte sua a paroco, in scriptis vel coram duobus testibus, petat: in ceteris casibus, *filius patris ignoti* vel *parentum incognitorum*, simpliciter inscribatur. Nomen similiter patris illegitimi publice et certo noti omnino adnotetur in libro separato et secreto, et haec adnotatio transmittatur ad Curiam Dioecesanam.

508. Usus offerendi SS^{mae} Dei Genitrici Mariae parvulos sacris aquis ablutos plurimum commendatur; quare pius animarum curator, opportunis, prout occasio tulerit, hortationibus, illum suis in parocciis servare vel

¹ S. Off. 9 Dec. 1745; S. C. Prop. F. 1 April. 1816 (Coll. P. F. 604, 618). V. art. 173.

² S. C. C. 13 Iul. 1624, ap. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2, art. 2.

³ Ibid.

inducere cum magno pietatis incremento studeat ¹. Similiter hortentur fideles, ut pro tanto regenerationis Sacramento saepe Deo gratias agant, praecipue vero anniversaria suscepti Baptismi die, quam orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus, praesertim vero renovatione promissionum baptismalium et assidua invocatione sanctorum Patronorum, celebrare decet, exclusis comessationibus et ebrietatibus ².

509. Piam et laudabilem consuetudinem benedicendi mulieres post partum, servandam curent Ordinarii, ad formam Ritualis Romani: et ubi obsoleverit, instauretur. Ad huiusmodi tamen benedictionem ius tantummodo habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt, etiamsi proles mortua fuerit antequam Baptismum susceperit ³.

CAPUT III.

De Confirmatione.

510. Secundum Sacramentum est Confirmatio, per quam homo deputatur ad spirituales militiae, et accipit robor ad intrepide confitendum in mundo fidem Christi crucifixi, qui, ut ait Apostolus, est scandalum Iudaeis, gentibus autem stultitia. Confirmationis, quae per manus impositionem Episcopi confertur, materia est chrisma, quo confirmandi in fronte, facta unctione per modum crucis, consignantur. Forma autem est: *Signo te signo Crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Confirmationis minister ordinarius est solus Episcopus; extraordinarius

¹ Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 18.

² Cfr. Conc. Prov. Venet. an. 1859, p. 3. cap. 22.

³ S. C. C. 18 Iun. 1859, ap. Syn. Ostien. et Velitern. p. 2. art. 2.

vero, et ex speciali Summi Pontificis commissione, potest esse simplex presbyter ¹.

511. Episcopis igitur peculiaris erit cura, ut fideles omnes tempestive suscipiant hoc Sacramentum, quod, licet non sit de necessitate medii, tamen certum est adulta iam aetate neminem debere hoc maximo salutis adiumento privari, praesertim cum bellum a tyrannis contra fideles infertur, vel cum daemonis fraude de religione anxii sollicitique graviter iactamur, vel tandem cum in ultimum vitae discrimen adducimur ².

512. Quapropter fideles ita de huius Sacramenti natura, vi, dignitate edocendi erunt, ut intelligant, non solum negligendum non esse, sed summa cum pietate et religione suscipiendum.

513. Ut confirmandi, qui usum rationis habent, digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse in gratia, et ideo conveniens valde est, ut illius susceptioni praemittant Sacramentalem Confessionem. Si enim conscii alicuius peccati lethalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum huius Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent ³. Non conferendum est Sacramentum Confirmationis illis adultis neophytis, moribundis, et in articulo mortis baptizatis, qui Baptismi capaces iudicati sunt, nisi saltem habeant aliquam intentionem recipiendi Confirmationem ad robor animae suae adiciendum ⁴; ideoque requiritur in adultis notitia huius Sacramenti.

514. Caveant confirmandi, ne sordida fronte capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant; vestibus

¹ Cfr. Const. Eug. IV *Exultate Deo*.

² Cfr. Encycl. Pii IX *Nostis et Nobiscum*, 8 Dec. 1849; Benedictus XIV. Const. *Etsi pastoralis*, 26 Maii 1742, et Inst. 6. n. 10.

³ V. Appen. n. LIX.

⁴ S. Off. 10 Apr. 1861 (Coll. P. F. n. 685).

tamen sint induti, quemadmodum et patrini, simplicibus, et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscepturae, et quae matrinarum officium exercebunt, non cum vanis ornamentis aut fucata facie, sed cum omni modestia et reverentia Ecclesiam adeant¹. Oblationes autem occasione Confirmationis permittuntur.

515. Confirmatio solemniter in Ecclesia conferatur, et decora pompa ad pietatem excitandam apta et opportuna²: potest tamen conferri etiam minus solemniter, tum praesertim cum in privatis domibus, vel extra Ecclesiam seu Oratorium, pueris aegrotantibus conferenda est, vel etiam adultis, qui ad Ecclesiam, quacumque ex causa, legitima tamen, accedere nequeunt³. Et quando hoc Sacramentum privatim confertur, potest administrari sine mitra, adhibita tantum stola⁴.

516. Curandum est, ut in solemnibus huius Sacramenti administratione, confirmandi adsint primae manuum Episcopi impositioni seu extensioni. Confirmandi autem non discedant nisi benedictione accepta, quam Episcopus post omnium confirmationem dabit⁵.

517. Quae de patrinis in Baptismo dicta sunt, generatim de patrinis quoque in Confirmatione adhibendis intelligantur⁶. Nullus praeterea non confirmatus potest esse in confirmatione patrinus; et si fuerit, non contrahit cognationem spirituales⁷. Alius esse debet in

¹ V. Appen. n. LIX.

² Conc. Prov. Valliscl. an. 1887, p. 3. t. 3.

³ Ibid.

⁴ S. C. de Prop. Fide 7 Dec. 1626. Cfr. etiam decreta S. Off. 12 Febr. 1851, et S. C. de Prop. Fide 22 Martii 1669 (Coll. P. F. n. 686, 687, 693).

⁵ V. Appen. n. LIX.

⁶ Ibid.

⁷ S. C. C. 16 Iunii 1654, ap. Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 3.

Baptismo et alius in Confirmatione patrinus, nisi cogat necessitas: non plures sed unus tantum adhibeatur: nec feminis mares, nec maribus feminae patrini officium praestent, sed suo quisque sexui patrinus adhibeatur¹. Quia ergo contingere potest, ut, in locis missionum vel in aliis a civitate episcopali valde separatis, nullus adsit qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini caeterorum esse poterunt². Sufficit ut patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi, etiam adulti³. Confirmandus, tempore confirmationis, quando Episcopus dicit: *N., signo te signo Crucis*, etc. praeter nomen suum baptismale potest aliud nomen Sancti sibi imponi curare⁴. Immo, si de nominis impositione peccatum fuit in collatione Baptismi, illud Episcopus mutet, et nomen imponat, quod homini christiano congruat⁵. Si Episcopus confirmans patrini officium erga confirmandum aliquo in casu assumere vellet, huiusmodi munus gerere deberet per procuratorem⁶.

518. Sacerdotes, quibus, ob speciales necessitates fidelium alicuius regionis, Apostolica Sedes facultatem fecerit hoc Sacramentum conferendi, accurate servent instructionem quae ipsis dari solet ab eadem Sancta Sede, et meminerint nemini prorsus caractere episcopali non insignito, vel cui alias usus Pontificalium ex vero legitimoque privilegio non competit, licere in collatione Sacramenti Confirmationis sedere, adhibere Ro-

¹ V. Appen. n. LIX.

² Ibid.

³ S. R. C. 20 Sept. 1749, ad 6 (n. 2404).

⁴ Ibid. ad 7.

⁵ Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 22.

⁶ S. R. C. 14 Iunii 1873, ad 3 (n. 3305).

Acta et Decreta.

chetum, Mitram, Baculum pastorem, Annulum vel Crucem pectoralem ¹.

519. Hortamur omnes Episcopos, ut, quoties absque praedictio aliorum munerum pastoralium fieri poterit, curent totis viribus ut infantes infirmi, degentes in civitate episcopali, qui Confirmationis Sacramentum nondum receperunt, ex hac vita non discedant absque caractere Confirmationis, ut tanto Sacramento insigniti maiori in coelo gloria perfruantur ².

520. Quoad aetatem confirmandorum, servari potest consuetudo, vigens in regionibus nostris, confirmandi scilicet quotquot sese praesentant Episcopo, in quacumque aetate constituti; et hac in re prae oculis habeantur SS. D. N. Litterae ad Episcopum Massilien., quae incipiunt: *Abrogata*, diei 22 Jun. 1897 ³.

CAPUT IV.

De SS. Eucharistiae Sacramento.

521. Tertium est Eucharistiae Sacramentum, cuius materia est panis triticeus et vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute fit transsubstantiatio, per quam scilicet tota substantia panis in Corpus et tota substantia vini in Sanguinem Christi convertuntur, ita tamen quod totus Christus continetur sub specie panis et totus sub specie vini; sub qualibet quoque parte hostiae consecratae et vini

¹ S. C. de Prop. Fide 23 Apr. 1774 (Coll. P. F. n. 665).

² V. Appen. n. LIX.

³ V. Appen. n. XCIX.

consecrati, separatione facta, totus est Christus. Huius Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est spiritualis transformatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, et membris eius unitur, consequens est, quod, per hoc Sacramentum, in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus et potus, quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem; in quo, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficiamus incrementum ¹.

522. Igitur, ad sacram Synaxim accessuri, praecelsam tanti Sacramenti dignitatem secum reputantes, probent se ipsos diligenter, et ea animi puritate et modesta corporis compositione ad illud accedere studeant, ut nedum divinam ultionem indigne sumentibus reservatam vitare, verum etiam uberiora semper gratiarum incrementa percipere valeant.

523. Praeceptum suscipiendi SS. Eucharistiam, saltem semel in anno, fideliter servetur, iuxta Constitutionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III, quae ita se habet: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus, ab eius perceptione duxerit abstinendum; alioquin et*

¹ Cfr. Const. Eug. IV *Exultate Deo*.

vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura ¹; quae tamen poenae sunt ferendae sententiae. Aegrotis quoque parochianis, etiamsi Communionem extra praescriptos Paschales dies sumserint, in Paschalibus diebus illam deferret ac ministrabit ².

524. Ne autem fideles nostri, degentes in locis in quibus raro haberi potest copia Sacerdotis, saluberrimum hoc praeceptum praetermittant, monemus omnes parochos et missionarios, praeceptum annuae Communionis omnes fideles quaruncumque regionum respicere; quo vero ad executionem tempore statuto, hoc est in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum adsit impedimentum, aut grave periculum immineat. Curandum tamen, ut, infra duos vel tres menses, ante vel post, Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin minus alio quovis tempore infra decursum unius anni a Paschate inchoandi, omnino communicent ³. Ad normam Litterarum Apostolicarum SS. D. N. Leonis XIII *Trans Oceanum*, omnes fideles regionum nostrarum annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possunt a dominica Septuagesimae ad octavam Corporis Christi inclusive. Ab hac autem annua Communionem, immo a frequentiori Sacrae Eucharistiae sumptione nullus fidelis, etiamsi fuerit infimae omnino conditionis et ingenii rudioris, reiici potest, nisi prorsus eius mysterii sit incapax ⁴.

525. Paterno autem affectu, ut olim Patres Tridentini (sess. 13, de Euch., cap. 8), rogamus et obsecra-

¹ Rit. Rom. de Com. Pasch.

² Ibid.

³ S. C. de Prop. Fid. 12 Sept. 1645 (Coll. P. F. n. 707).

⁴ Cfr. Const. Alexandri VII *Sacrosancti*, 18 Ian. 1658 (Coll. P. F. n. 708).

mus « per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo caritatis, in hoc concordiae symbolo, iam tandem aliquando conveniant et concordent; memoresque tantae maiestatis et tam eximii amoris Iesu Christi Domini Nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, haec sacra mysteria Corporis et Sanguinis eius, ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint, et is vere eis sit animae vita, et perpetua sanitas mentis: cuius vigore confortati, ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eundem panem angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi ».

526. Cum sancta Tridentina Synodo (sess. 22, de sacrif. Missae, c. 6), hoc Concilium Plenarium Latino-Americanum optaret quidem, « ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione, communicarent ». Utrum autem singulis mensibus vel hebdomadis vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula praescribi non potest ¹; ideoque, attendentes ad dispositiones singulorum, videant confessarii quid hac in re singulis poenitentibus permittendum sit vel prohibendum, iuxta normas a probatis Doctoribus traditas.

527. Episcopi autem, in quorum diocesis viget saluberrima praxis frequentis accessus ad Sacram Sy-

¹ Catech. Rom. de Euch. n. 60.

naxim, pro illa gratias Deo agant, eamque conservare et prudenter promovere studeant. Parochos autem hortamur, ut totis viribus promovere curent frequentiam S. Communionis inter proprios parochianos, cuiuscumque conditionis sint; et insuper nihil intentatum relinquunt, ut multi, etiam rudiores et infimae conditionis ruricolae, pluries per annum ad Mensam Eucharisticam digne et alacriter accedant.

528. Animarum curatores, pueros ac puellas, cum usum rationis fuerint assecuti, saepius per annum invitent ad sacramentalem confessionem sincero corde peragendam, eosque vim et dignitatem SS. Eucharistiae diligentissime edoceant, eo ut, convenienti tempore, divini epuli participes fieri digne mereantur¹. Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit, quam pater et sacerdos, cui sua confitentur peccata; ad illum enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an huius admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant². Sciendum tamen est, quod pueri, non communicantes, in debita aetate constituti, peccant, si ex proprio defectu instrui aut communicare nolint; at si defectus sit ex parte patris aut matris, alteriusve, qui ad dandam instructionem obligatur, hi peccabunt mortaliter³. Ut autem hac in re efficacius evadat parochorum et confessoriorum ministerium, prae oculis habeatur *Instructio pro illis qui prima vice accedunt ad Sacram Mensam*, edita a Benedicto XIII in Concilio Romano, una cum *Instructio pro parvulis prima vice ad sacramentalem*

¹ Cfr. Decr. S. C. de Prop. Fid. 12 Ian. 1869 (Coll. P. F. n. 737).

² Cat. Rom. de Euch. n. 63.

³ Benedict. XIII. *Instructio pro illis qui prima vice accedunt ad Sacram Mensam* (V. Appen. n. IX).

Confessionem admittendis, quas in Appendice inserendas iudicamus.

529. Cum vero compertum sit, eos qui primum ad Eucharisticam mensam accedunt, fructus uberrimos referre, si ad eam digne pro humanae infirmitatis conditione percipiendam sacris concionibus et exercitationibus per aliquot dies instruantur ac excitentur, et si auspiciatissimi huius diei solemnitas splendidiore cultus maiestate celebretur, eiusdemque memoria salutaribus monitis commendetur perpetuo recolenda, parochi nihil praetermittant, quod hac in re noverint magis expedire. Optamus etiam quam maxime, ut pueros ipsos, praevia innovatione promissionum Baptismalium, SS. Virgini ab origine Immaculatae, opportuna prece, solemniter consecrent, et pio sermone excitent ad tantae Matris praesidium quotidie exorandum et virtutibus ei carioribus promerendum¹. Hac denique capta occasione, parochi enixe hortentur genitores et cognatos puerorum, ut, per Poenitentiam purificati, devotissimi eorum socii fiant in SS. Eucharistia suscipienda, caeterisque tantae solemnitatis caeremoniis peragendis.

530. Quoad pueros in vitae discrimine positos, sciendum est, eamdem non desiderari aetatem, ut iis Eucharistia possit ac debeat ministrari, quae in recte valentibus: tunc enim satis est, ut habeant usum rationis sufficientem ad peccandum, seu capaces sint confessionis, ac sciant discernere Corpus Christi a communi cibo illudque reverenter adorare. Ipsimet igitur prudentes parochi in singulis casibus diiudicent ac definiant, num puer vita periclitans, spectata eius

¹ Cfr. Conc. Prov. Urbinat. an. 1859, art. 28; Ultraiect. an. 1865, tit. 4. cap. 5.

indole, tali discretione praeditus sit, et capax tanti Sacramenti¹.

531. Memores parochi et missionarii divini praecepti, quo fideles tenentur Eucharistiae Sacramentum in mortis periculo sumere, nec non gravis obligationis, qua ipsi adstringuntur, illud administrandi infirmis vita periclitantibus etiam morbo contagioso aut peste correptis, se in hoc officii sui munere facillimos praestent atque diligentissimos, neque incuria sua aut vanis praetextibus ullum sinant ex hac vita decedere tanto bono privatum, sed omnibus praebeant, quod omnibus sumendum praeceptum est, exceptis iis, qui iusta ratione prohibentur, aut nisi adsit periculum indecentiae vel irreverentiae tanti Sacramenti².

532. Dolemus plurimum, quod in nonnullis regionibus nostris, praesertim in locis ruralibus et suburbanis plus minusve remotis ab Ecclesiis parochialibus, frequentissimi sint casus, in quibus infirmis vita periclitantibus Sacramenta Poenitentiae tantum et Extremae Unctionis ministrantur, omisso SS. Viatico. Quocirca, graviter onerantes conscientiam omnium Rectorum animarum, eis districte praecipimus, ut nulli deinceps infirmo, vita periclitanti, directe vel indirecte, denegare audeant validissimum auxilium SS. Viatici. Immo non renuant parochi SS. Eucharistiam iterum et tertio deferre ad aegrotos, qui, perseverante eodem morbi periculo, illam saepius, etiam per modum Viatici,

¹ Cfr. Syn. Sutchuen. an. 1803, sess. 1. cap. 4; Ben. XIV de Syn. l. 7, cap. 12.

² Cfr. Syn. Sutchuen. an. 1803, sess. 1. c. 4; Neo-Granaten. an. 1868, tit. 4. c. 6; Conc. Prov. Ravenn. an. 1855, p. 2. cap. 4. n. 6; Conc. Antequeren. an. 1893, p. 1. sect. 3. tit. 4. n. 9; Bened. XIV de Syn. l. 13. cap. 19.

si quidem naturale ieiunium servare nequeant, suscipere cupiant¹.

533. Scientes vero damnabilem huiusmodi praxim inanibus rationibus a plurimis defendi, Ordinarii prae oculis habeant sequentes normas Sanctae Sedis, videlicet: a) « Aegrotis morti proximis, cuiuscumque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, sacrum Eucharistiae Viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit acceptio personarum, ac pro nostra salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit » (Alexand. VII. Const. *Sacrosancti*, 18 Ian. 1658). — b) « Quotiescumque SSmum Eucharistiae Sacramentum ad infirmos seu publice seu occulte respective deferri poterit, deferendum esse » (S. Congr. de Prop. Fide, 14 Dec. 1668). — c) Viaticum administrandum est infirmis etiam rudioribus et neophytis quamvis ignaris, dummodo « saltem discernant cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in Sacra Hostia praesentiam Christi Domini » (S. Offic., 10 April. 1861)². — d) « Quodsi longius aut difficilius iter obeundum sit, et fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum deferretur, bursa decenter ornata, et ad collum appensa, apte includere, et ita ad pectus alligare atque obstringere, ut neque decidere neque e pyxide excuti Sacramentum queat » (Rit. Rom. de com. infirm.). Quodsi, ratione extraordinariae distantiae, vel aliis gravissimis de causis, quasi insuperabile aliquod impedimentum occurrat, parochi stent normis a proprio Ordinario praescriptis, qui hac in re procedat, prae oculis habitis decretis et instructionibus Sanctae Sedis.

¹ Syn. Ostien. et Velitern. an. 1892, p. 2. art. 4. Cfr. Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 12.

² Coll. P. F. n. 708, 709, 734.

534. Ne autem, ob extensionem parochialis territorii vel ob multitudinem parochianorum, infirmi, praesertim vita periclitantes, SS. Eucharistia priverentur, parochi tenentur in conscientiam auxilium aliorum sacerdotum, praesertim confessoriorum, etiam regularium implorare, eisque licentiam concedere, ut non tantum Extremam Unctionem, ut hactenus plurimis in locis solet, sed et SS. Viaticum ministrent. Regulares autem, quorum zelum et caritatem sacerdotalem erga infirmos regionum nostrarum meritis laudibus commendamus, alacres fiant, in re tanti momenti, parochorum auxiliares et socii.

535. Cum vero in SS. Eucharistia habeatur etiam ratio sacrificii, firmiter credendum est in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiarium Sacrificium, pro vivis et defunctis¹; ideoque per ipsum fieri, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit; una enim eademque est hostia, idem, nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa². Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronavit; unde nec sacerdos dicere solet: offero tibi sacrificium, Petre vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis inter-

¹ Prof. fidei Pii IV et Pii IX.

² Conc. Trid. sess. 22. cap. 2 de sacrif. Missae.

cedere dignentur in coelis quorum memoriam facimus in terris¹.

536. Ut autem SS. Eucharistia, sive ut Sacramentum, sive quatenus est sacrificium, digne et religiose tractetur, diligenter serventur praescriptiones Ritualis et Missalis Romani, decreta Sanctae Sedis, et quae iubenda vel ad memoriam revocanda duximus in titulo IV de Cultu divino.

CAPUT V.

De Poenitentia.

537. Quartum Sacramentum est Poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis seu oris confessio, cordis contritio et operis satisfactio. Forma autem sunt verba absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: *Ego te absolvo* etc. Minister vero est sacerdos, habens auctoritatem absolventi, vel ordinariam vel ex commissione Superioris. Effectus huius Sacramenti est absolutio a peccatis post Baptismum commissis: et ideo merito vocatur « secunda tabula post naufragium ». Est enim sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus: unde per illud vera obtinetur reconciliatio cum Deo. Quapropter, parochi et concionatores frequenter doceant fideles de necessitate et de fructibus huius Sacramenti, et distincte doceant quae contritionem, confessionem et satisfactionem respiciunt².

538. Contritio a Patribus Concilii Tridentini definitur: *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero*: ex quibus verbis facile

¹ Conc. Trid. sess. 22. cap. 3 de sacr. Missae.

² Cfr. Const. Eugen. IV *Exultate Deo*.